

gens, recte Virginem in coelum assumptam soli comparari, quia sicut sol inter omnia corpora coelestia plus claritatis, et splendoris a Deo accepit, et ideo plus prae ceteris omnibus donatus, in haec inferiora munificentissime influens: ita beata Virgo, quanto plura in coelis gloriae charismata a filio suscepti, tanto plura bona in nos diffundit. Unde Oleaster (*super cap. 20 Ezechi*) observat, quod verbo illi, *electa*, correspondet in Hebraeo aliud, quod *spontanee et voluntarium* significat; et subdit, idem etiam verbum significare *hirundinem*, quae sponte sua domos nostras ingreditur, et in eis nidificat. Quibus non obscure significatur, quod cum Spiritus sanctus ait, beatam Virginem esse electam, ut solem, aperte ostendit non solum excellentissimam instar solis super omnes creaturas, sed velut liberalissimam, in omnes spontaneae, et voluntariae coelestium honorum munera diffundere; adeo ut sicut sol, nisi ei obicem apponas, ostia ac fenestras ei claudens, totam domum fulgentissimis suis radiis illustrat, et exornat; ita beata Virgo, quae electa est, ut sol, beneficentiae suae radios in omnes diffundit; et veluti civitas refugii omnes ad se confugientes materno affectu suscipit, et fovet, utpote quae pia magis, et clementior civitas refugii esse perhibetur, quam reliquae omnes, quarum sacra eloquia meminerunt, in tutelam, et refugium miserorum destinatas (*Numer. 35*), (*Isaie c. 20*), et (*Deuter. c. 19*), quia illae civitates non poterant protegere nisi innocentes a culpa, ut constat ex verbis ipsius sacri textus; Mariana autem haec civitas refugii et innocentes, et peccatores salvat, dummodo veniant poenitentes. Propter quod de ea dicit David (*Psal. 76*): *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei*. Sed quare gloriosa: quia *memor es Rahab*, quae fuit meretrix, *sed poenituit*, quando suscepit exploratores, ut habetur (*Isaie c. 11*), et *Babylonis*, qui Ezechiam regem, vel populum, quem tenebat captivum, ad propriam patriam libere redire permisit tempore Cyri regis Persarum, et *Turi*, et *populi Aethiopyum*, qui ad te fugerunt, tanquam ad civitatem refugii. Omnes hi fuerunt per te proleci, et a defensati ab ira filii tui, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA XII.

*Adductis variis sacrarum literarum locis, in sensu mystico explicatis, gloriosam Deiparae Virginis assumptionem illustrare conamur.*

Verba illa Davidica (*Psal. 47*): *Deus in domibus eius cognoscetur, cum suscipiet eam*, assumptionem Deiparae Mariae non obscure praesignasse mihi videntur. Neminem sane arbitrator ita mentis inopem, qui in mirabili crea-

turarum varietate, velut in fulgentissimo speculo non agnoscat bonitatem, potentiam, et providentiam supremi eorum officis. Quicumque enim aciem converterit in fabricam hanc universi, cuius basis terra esse perhibetur, prima superficies, coelum: secunda, ignis; tertia aer: ultima aqua, non poterit mirabilem Creatoris potentiam non valde mirari; et quavis, instar aspidis, obturet aures suas, necesse erit, coelorum harmoniam etiam invitus sentire, cuius meminit David (*Psal. 18*): *Coeli enarrant gloriam Dei*. Quod si quispiam David obiciat, quomodo coeli, cum lingua careant, gloriam Dei enarrare possunt, maxime ipso dicente, ut *Batablus* vertit ex Hebraeo: *Non est verbum, neque sermo, non auditur vox eorum*. In promptu est responsio ex illo Themistoclis, ut auctor est Plutarchus, dicentis verba persimilia esse tapeti figuris, quae tametsi mutae loquuntur. Cui consonat illud magis Gregorii: *Pictura gentibus pro lectione est*. Unde idem David de ipsis coelis ibidem ait: *In omnem terram exivit sonus eorum*, quia indeficiens, et regularis eius motus, et mirabilis ordo, Creatoris magnificentiam per totum orbem terrarum proclamat. Unde ubi nostra Vulgata legit: *In omnem terram exivit sonus eorum*, *Batablus* vertit: *exivit regula*: *Aquila: exivit ordo*: Pagninus: *exivit linea*. Quid si mirabilia coeli continent, contemplerunt? stellarum diversitatem, viam lacteam, Zonam zodiacam, circulum meridianum, Orientem, saltus lunae, eloquentiam Mercurii, gratiam Veneris, fervidum calorem solis, fortitudinem Martis, benignitatem Iovis, mollicoliam Saturni, et alia pene innumera? haec omnia quis non videat, divinaram laudum praecones esse? Ceterum, per haec omnia cognoscatur Deus extra propriam domum suam; hodierna autem die cum beata Virgo in coelum suscipitur, singulari modo cognoscitur, et innotescit illius magnificentia in propria eius domo (*Psal. 47*): *Deus in domibus eius cognoscetur, cum suscipiet eam*, scilicet in aeterna beatitudine, ut adnotat glossa interlinearis; ubi notanda est singularis versio Pagnini, qui in hunc modum praedieta verba transfert: *Deus in domibus eius notus, ad elevationem*. Quid clarius potuisset dici ad signandum Dei potentiam valde innotuisse, cum beata Virgo ad coeli caecamina super angelos fuit elevata. Ecclesia catholica canent: *Exaltata est sancta Dei genitrix super choros angelorum ad coelestia regna*? Tunc Deus fecit potentiam in brachio suo, uberiorem gloriam soli Virgini conferens, quam omnibus coelestis simul, per quod sane mirum in modum magnificentiam suam ostentavit.

Deinde in idem argumentum celebris est locus ille (*Cant. 3*): *Quae est ista, quae accendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae, et thuris, et uniceis pulveris pygmentarii*? Symmachus vertit: *Sicut evaporatio fumi*: *Aquila: sicut similitudo fumi ex suffumendo*: d. Ambros. (*epist. 62*), *sicut vitis propago, fumo incensa, odorifera myrrha, et thure*: d. Greg. Nyss. *sicut virgularum, seu stipulum fumi*. Alii vertunt: *Sicut palma, seu columna propter re-*

*ctissimam altitudinem*: originale hebraeum: *vapore fumi*. Quae omnes translationes varia Virginitatis indicant praeconia. Illud tamen mirabile videri posset alicui, quomodo angeli beatam Virginem in coelum assumptam cum fumo, re depectissima, comparent, seu component: maxime cum fumus symbolum sit tenebrarum, vanitatis, et fletus? Ioannes autem amictam solis splendoribus Virginem vidit, aurorae, lunae, immo et ipsi soli eam alibi comparavit. Quid autem quaeso commune habet feter fumus cum rutilanti aurora, cum pulchra luna, aut cum micantibus solis radiis? Non igitur videtur Virgini fumi similitudo congruere. Sed longe aliter se res habet. Audite primum Patres nodum hunc solventes, deinde quod nos adiciemus. Rupertus (*in comment. huius loc.*) hanc praecoram, et ingenio eius dignam mixtam interpretationem, cum Virgine loquens, in haec verba apponit: *Odor tuus, odor humilitatis tuae praecipue ascendit ad Deum, ut vere sacrificium contribulati spiritus. Quid est fumus, et quid pulvis, nisi spiritus lacrymosus, et conscientia valde humilis? et sua quidem aestimatione, vere humilitas est fumus innocens, quasi crenis, sicut torris obsti, et pulvis terrae sine aqua, et silentis, tuata illud: Quia defecerunt, sicut fumus, dies mei, et ossa mea, sicut eremiam, aruerunt: et sicut Abraham dixit: Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis, et cinis. Sed non ita aestimatione Dei, aliter, et melius ille te discernit. Tu dicis: pulvis sum terrae, qualem ventus dispergit, aura tollit; et ille dicit: non, sed pulvis pigmentarii, pulvis myrrhae, et thuris: qualem pigmentarii Spiritus sanctus conficit ex optimo thure, quod est suavitas mentis, et ex myrrha probatissima, quod est mortificatio, sive incorruptio carnis. Tu dicis: fumus ego sum teter coram divinis oculis, qualem de camino, sicut de fumaris deficiens ascendit, ascendens deficit; et ille dicit: non, sed fumus ex aromatibus myrrhae, et thuris, qualem decet ascendere de aureo thuribulo ante altare aureum usque ad oculos, et olfactum Dei. Talis fumi virgula tu o beata Virgo Maria suavem odorem spirasti Altissimo, coelestibus disciplinis erudita, atque extenuata. Talis ascendisti per desertum, id est, animum habens valde solitarium. Si enim vera cuiusque animae humilitas etiam inter turbas potest esse solitaria, ita videlicet, ut in nullo alio, praeterquam in Deo, spem habeat: quemadmodum Esther, cum esset regina, veraciter tunc dicebat: Domine mi, qui Rex noster es solus, adiuva me solitariam, et cuius praeter te nullus auxiliator est alius. Quanto magis tu vera solitaria, et quasi in deserto eras, quae citrum non cognoscebas, nec cognoscere cupiebas, et ab illo, cui desponsata fueras, pene fuisti desertata? haec ille. Sanctus Hieronymus (*ser. de assumpt.*) vel ut alii vult, Sophronius, aliam viam ingressus, ut alibi diximus, eadem verba exponens ait: *Et bene quasi virgula fumi, quia gracilis, et delicata: quia divinis extenuata disciplinis, et concremata intus in holocaustum, incendio pii amoris, et desiderio charitatis. Ut virgula, inquit, fumi ex aromatibus: nimirum, quia multis erat repleta virtutum odoribus, manans ex eo fragrantissimus odor etiam**

*spiritibus angelicis*. Ego omissis variis expositionibus a me alibi iam exhibitis, paulo nunc longiore explicationem accipe. In primis explico priora illa verba: *Quae est ista, quae ascendit de deserto?* quae suppono esse angelorum, ut Interpretes ibi adnotant. Per desertum primo possumus intelligere eum Richardo Victorino (*sup. hanc loc.*) mundum, quia vel a suis amatoribus saepe deseritur, et contemnitur; vel quia seipsum deserit, quotidie deficiens. Praeterit enim figura huius mundi, ut dixit Apostolus. Unde cum B. Virgo prae omnibus sanctis mundum spreverit, ac affectu penitus, etiam cum mundi incolae erant, mundum deseruit, vere ad superna gaudia per desertum ascendere dicitur: *Quae est ista, quae ascendit per desertum?* Secundo explicatio Richardi mihi non displicet, dum ait, *Per desertum* idem esse ac si diceretur, *Per desertionem*, quia beata Virgo, omnia propter Christum deserendo, facta est propter Christum omnium domira. Etenim si d. Paulus adeo omnia terrestria deseruit, ut diceret (*Philip. 3*): *Omnia arbitratu sum, ut sterco*: manifestum est, quod multo perfectius eadem B. Virgo ea deseruit. In omni certamine de lacta, quam beata Virgo habuit cum antiquo serpente, semper fuit superata: nam ut recte dixit d. Gregorius (*homil. 33*): *Si vestitus quisquam cum nudo luctatur, citius ad terram decurrit, quia non habet unde teneatur: quid enim sicut terrena omnia, nisi quaedam corporis indumenta? Qui ergo contra diabolum ad certamen properat, vestimenta abiciat, ne succubant*. Sane B. Virgo, cum omnia haec indumenta terrena penitus deseruisset, nec illis unquam indudere, non habebat, unde ab hoste in palestram teneretur. Tertio per desertum apte intelligenda venit virginitas, ut ingeniose interpretatus est Guelicmus. Quid enim antiquis diebus tam neglectum, atque desertum, quam virginitas? etenim cum ratio illius temporis officium propagationis posceret, in omnium ore illa verba versabantur (*Judic. 11*): *Maledictus, qui non fecerit semen in Israel*. Unde filia Iephthae, in aetate nubili sine filii moritura, virginitatem suam per duos menses flevit in montibus, expians eo quod poterat modo, maledictionem suam. Quia tamen propria illa lamentatione a tam gravi maledictio non radicitus expiata videbatur, conveniunt filii Israel singulis annis, et solenni lucto per dies quatuor expiabant eam. Ecce virginitas illis temporibus prae amore solibus, et metu maledicti, quam exosa, et abominabilis, et quam deserta res fuerit. Per hoc igitur virginitatis desertum beata Virgo ascendit, quia perpetuam Deo vovens virginitatem, ut dignum Deo fieret habitaculum, maledictionem illam non exhorruit. Unde factum est, ut salva virginitate semen in Israel faceret, et benedictionem illam amplissimam reciperet (*Ecl. 24*): *Benedictionem omnium gentium dedit illi, per quem singulari miraculo mater Dei facta est. Unde doctissimus Guelicmus (*in c. 3. Cant.*) dixit: *Maria amore incorruptionis parata est a sua gente elegium maledictionis incurere; et ecce salva incorruptionis gloria, totus ei mundus proclam-**



mat: *Benedicta tu in mulieribus*. Sic ergo ascendit ex deserto.

Sed perge iam reliqua verba eiusdem loci explicare: *sicut virgula fumi*. Congrua sane comparatio Virginis in coelum assumptae: tum quia sicut fumus ex igne nascitur, et continuo altiore locum petit; ita beata Virgo amoris igne succensa, velut fumus aromaticus in suprema per coelestia desideria ferebatur: tum quia, sicut fumus in sublime evehitur se subtrahit aspectui; ita B. Virgo in coelum assumpta, oculis apostolorum illam ascendere intentibus se subduxit: tum quia, ut recte observavit Gulielmus (in comment. huius loc.), *beata Virgo, instar virgulae fumi ex aromatibus fuit, recta per actionem, fragrans per bonam famam, sursum erecta per mentis sinceram intentionem*: additque acute ad nostros mores informandos: *Quid prodest rectitudo actionis cum fragrantia boni hominis, si tibi factus o homo, non Deo, si tibi fragres, non Deo?* id est gloriam propriam quaeras, non Dei. Iunge tertium, ut ascendas similis Mariae, scilicet, mentis sincera intentione. Subiungitur tandem: *Universi pulveris pigmentarii, ad significandum nihil defuisse spiritualium aromatum ei, quae coelestium charismatum fontem genuerat*. Sane pigmentarii iste Deus est, de quo Iacobus apostolus (cap. 1) inquit: *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre lumine*; quasi dicat, omne spirituale pigmentum a summo illo pigmentario est. Quia tamen moris est, huius magno pigmentario pigmenta, quae largitur, in pulverem contondere ad maiorem usum, et suaviores fragrantiam, variis pressuris iustus exercens, et bonum Christi odorem latius spargant, eos confundit. Id certe praestare non praetermisit in Virgine, in qua omnia virtutum aromata ad maiorem redolentiam, variis tribulationibus fuerunt contusa; maxime cum universis filii cruciatibus materno affectu communicabatur; quorum sane aromata duo praecipue nominantur, myrrha amari doloris, et thus fragrantis, et fragrantis amoris, quia quantum amabat, tantum in filii passione dolebat; atque ita thuris, et myrrhae odorem aequaliter spirabat. Tandem, ut alibi dixi, arbitror, virgulae fumi ex aromatibus Virgine in coelum assumptam comparari, ad significandum munus advocatae, ad quod beata Virgo erga filium suum exercendum ascendebat; nimirum, ut pro nobis deprecans, nos cum illo reconciliaret. Olim fumi aromatico sibi oblato, solitus erat Deus placari: unde (Genes. 8) legitur: *Odoratus est Dominus odorem suavitatis, et ait: nequaquam maledicam terrae propter homines, et (Sapient. 18) scimus Aaronem per incensum odorem divinam iracundiam mitigasse: Per incensum deprecationem allegans restitit irae*. Quia ergo beata Virgo in coelo orationis suae odorifero fumo irae Dei resistit, et nos Deo reconciliat, ideo virgulae fumi ex variis aromatibus ascendenti comparatur.

Illud etiam locum Canticozum ad illustrandam Virginis assumptionem aptum non immerito putavit Gulielmus: *Surge, propra amica mea, columba mea, formosa mea, et veni: sic*

enim haec verba explicat: *Surge commortua mihi per affectum maternum, surge mecum, ego moriebar, tu maerebas: clavi mei tunc fidebant mihi manus, et pedes, sed maternum pectus tuum transfugebant, et pertingebant in te usque ad divisionem animae, et spiritus, compagum quoque ac medullarum*. Surrexit a morte, surge et tu a maerore, ut sicut similis facta es morti meae, ita has similis resurrectioni meae. Surge et propra, quoad gloriam immortalitatem, quo te resurgendo praecessi. Accepi enim a te mortalitatem, retribuam tibi immortalitatem: ad hanc propra amica mea, cui iam pridem aeternum meum de reparatione humani generis consilium credidi: cui sacramentum a saeculis absconditum revelavi, quod scilicet oportet Christum pati, et a mortuis resurgere. Columba quoque propter fecunditatem, sed mea, cui ego singularis pulvis sum. Columba per fecunditatem, sed nihilominus formosa per virginitatem, quippe in te sicut virginitas fecunditatem non impedit, ita te fecunditas virginitatem deformat. Ita columba mea, ut tamen formosa mea: et quia columba mea, ideo formosa mea: quia mater mea, ideo virgo mea. Quid est virgo mea? virgo perpetua, quia es mater mea, ideo es virgo perpetua: nempe matrem meam non tantum virginem, sed perpetuam virginem esse oportet. Sicut non potui secundum carnem tecum habere patrem, ita nec ex te fratrem. Proinde, non tantum primogenitum, sed unigenitum tuum me esse oportet. Primogenitum ante quem nullus: unigenitum, post quem nullus. Itaque quid aies in maeroribus, quasi lugens mortuum? Surge a maeroribus, quia mortuus tuus surrexit ex mortuis. Noli flere viventem cum mortuis. Surge, et per desiderium propra ad stolam candidam, stolam immortalitatis accipendam, quo te praecessi, et mox suo tempore, quando novellam Ecclesiam de sacramento Incarnationis meae plenius informaveris, veni ad filium, ut epuleris cum filio, iucunderis cum filio, regnes cum filio; haec ille. Sed aliter eundem locum explico. Certe Christus Dominus in coelis regnans, quasi non patiens diutius beatas esse absque consortio suae genitricis, Virginem invitat, ut ad se veniat, his verbis: Olim ego ad te veni incarnandus a te, nunc ad me veni glorificanda a me: olim ego requievi in tabernaculo tuo, nunc veni, ut requiescas in tabernaculo meo. Surge ergo de humulo mortis ad cumulum felicitatis: surge de corruptibilitate ad incorruptilitatem: surge de solo in coelum, veni de militia ad triumphum, de lacrymis ad gaudium, de pressuris tandem, et laboribus ad sempiternam requiem. Ad hanc autem requiem significandam apte columbam eam compellit: *Veni columba mea: nam sicut (Gen. 8) legitur, quod columba emissa ab arca non invenit ubi requiesceret pes eius, donec ad arcam reversa est; sic et beatis. Virgo mirabilis columba toto eo tempore, quo in terris, et cum hominibus conversata est, et per aquas laborum inessit, ut sanctae Ecclesiae utilitatibus consuleret, perfectam requiem invenire non potuit. Sed quomodo quae so illam invenire potuisset, cum omnia hic sint in continuo motu: motus autem, et quies ita opponuntur, ut simul esse repu-*

gnet. Unde Franciscus Petrarcha de remedio utriusque fortunae: *Ex omnibus, inquit, quae mihi lecta placuerunt, nihil crebrius ad memoriam redit, quam illud Heraclyti, omnia secundum litem fieri: sic enim universa testantur. Nomen rapidae stellae obviat firmamento? invicem elementa confingunt, terrae tremunt, maria fluctuant, aer quatitur: bellum immortale gerunt venti, tempora temporibus concertant, secum singula, et nobiscum omnia. Ver humidam, aestas arida, autumnus mollis, hyems hispida, et quae vicissitudo dicitur, pugna est: et non mirum, si omnia litem pariant, quanta in coniugio dissonantia, quot querelae, quot suspiciones amantium, quae suspiria, qui dolores. Immo in intumescit animae penetralibus unusquisque secum bellum gerit assidue: nam et corpus, quam contraria aestuet, ac turbetur humoribus, ab his quoque quos, physicos dicimus, comprehendimus. Quare animus, quam diversis secum pugnet affectibus, unusquisque non alium, sed seipsum interroget, sibi respondeat, quam vario reciproco mentis impetu, modo huc rapitur, modo illic; nunquam totus, nusquam unus, secum ipse dissentiens, seipsum discernens. Ac tandem cuncti huius mundi amatores requiem quaerunt in honoribus, quos ambiunt, et in eis requies non est, Isaia dicente (c. 57): *Cor impij quasi mare fersens, quod quiescere non potest. Vel in divitiis, nec requiem istae dare possunt, cum spinae sint animi pungentes, iuxta Christi Domini sententiam. Unde d. Greg. (hom. 13) dixit: Divitiae spinae sunt, quia cogitationum suarum punctioibus mentes lacerant. Vel denique in voluptatibus carnis, quas tamen certum est, non requiem, sed inquietum potius parere non modicum: in cuius figuram legitur (L. Judith 16), quod Dalida, per quam lasciva caro significatur, valde infesta erat Sampsoni, nec cum quiescere sinebat, immo et hostibus saepe illum tradebat: eumque molesta esset ei, et per multos dies iugiter ei adhaereret, spatium ad quietem non tribuens, deficit anima eius, et ad mortem usque lassata est. Habitatores ergo terrae in ea requiem invenire minime possunt, ut luculenter dixit Hieremias (Thren. 1): *Habitavit inter gentes, nec invenit requiem*. B. ergo Virgo in coelo agnoscens esse requiem suam, ad eam pervenire cupiens, ad Deum clamabat cum patre suo Davide, dicens (Psal. 17): *Emitte manum tuam de alto, et libera me de aquis multis. Exaudita fuit pro sua reverentia deprecatio eius, et impletum est in ea, quod idem David praedixerat (eodem Psalmo): *Misit de summo, et accepit me, et assumpsit me de aquis multis. Etenim aeternus Pater misit Christum Dominum de excelso solo suo, ut ascendenti Virgini obvius fieret, et occurrente sibi universa curia coelestis, illam ad secum conregnandum assumeret, et in aeternam requiem introduceret. Quod mihi praecclare significatum videtur in sequentibus verbis (Genes. 8): *Ex-tendit Noe manum, et apprehensam intulit in arcam. Sane manus haec extensa Christus fuit, qui a Patre missus, in occursum venit matri suae, ut eam susciperet, et in solo gloriae suae collocaret. Advertere tamen oportet, quod*****

ad significandum assumptam fuisse matrem a filio secundum corpus, et animam, notanter vocavit illam, *columbam*, alludens ad illud (Levit. 1), ubi legitur, quod cum boves, pecora, et alia animalia in sacrificio Deo offerbantur, in varias partes dividi praecipiebantur: *Detraheque pelle costarum, artus in frusta incidet*; cum vero offeratur columba, divisionem, seu sectionem in varias partes illius prohibebat Dominus: *Non secabit, neque ferro dicidit eam*. Sane cum confessores, martyres, virgines, immo et apostoli per mortem in sacrificio Deo se obtulerant, divisionem sustinerunt: alera enim pars, nempe corpus, in seculo non manens iacebat, altera vero pars, nempe anima, absque corpore in coelum evolebat. Ad haec ita etiam id contigerit beatae Virginis, transacto lamen triduo mortem illius, placuit Domino hanc columbam integram sibi offerri, absque divisione partium, ut corpore, et anima gloriosa in coelum migraret. Unde ad hanc indivisionem denotandam non contentus vocare illam, *columbam*, ait (Cant. 6): *Una est columba mea*. Unum autem est id, quod indivisum, seu absque divisione apparet: beata etenim Virgo Maria fuit ante mortem spiritaliter indivisa, quia nullam sui cordis partem alteri, sed totam se Christo dedit. Fuit etiam post triduum mortis corporaliter indivisa, quia integra corpore, et anima super choros angelorum ascendit. Quod autem sacer textus subdit (Gen. 3): *Columba ad arcam reversa delitit in ore suo ramum olivae virentibus foliis*, egregie delineat officium reconciliatricis, quae mater a dextris filii sui adstans pro nobis fungitur. Oliva enim, cum pacis, et misericordiae symbolum sit, facile inde intelligimus, ad hoc assumptam fuisse candidissimam hanc columbam in coelum, ut summa pace cum Christo in aeternum quiescens, divinam misericordiam, et pacem cum Deo nobis impetret.

Porro, iam ex novo testamento verba illa Christi Domini dicentis (Matth. 10): *Qui recipit prophetam in nomine prophetae, mercedem prophetae recipiet*, apte satis accommodari posse arbitror praesenti Mariae assumptionis argumento. Scio ab Interpretibus varias huic loco explicationes adhiberi: nam quidam intelligunt per mercedem prophetas, mercedem, quam illi propheta dabit, quia docet eum Evangelium; et mercedem iusti, id est, quam iustus illi impetrabit orando pro illo; aut quia eius causa Deus illi miserebitur, iuxta illud (Luc. 16): *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant eos in aeterna tabernacula*. Alii mercedem explicant quam ego illi dabo, qui propheta sum, et iustus pariter per excellentiam Alii mercedem prophetas, et iusti, id est, quae recipientibus prophetas, et iustos a Deo constituta est. Non est consuetudinis nostrae aliorum interpretationibus detrahere. Illud tamen audeo dicere illam sicut pluriorem, ita et veritorem intelligentiam esse, *mercedem prophetas accipiet*, id est, quam ipse propheta accepturus est, quia talis perinde reputatur apud Deum, ac si prophetas officio fungeretur, sicut David dixit (1. Reg. 24): *Aequa pars erit descendenti in praetium, et re-*



manenti ad sarcinas; et sicut e contrario, August. dixit d. Paulum dum lapidatum Stephanum vestimenta servabat, per omnium manus lapidasse, ut saepe principes, tam rebelles, quam illos, qui eos domo recipiunt, occultantve, eadem poena punire solent: ita Christus Dominus pari praemio pollicetur, se prophetam remuneraturum, et hospitio recipientem prophetam. Hac supposita legitima interpretatione, quam acceptat doctiss. Maldonat. et auctoritate Clementis (1. Stromat.), eam confirmat, certe, cum Deipara Maria hospitio uteri sui per novem menses Redemptorem mundi suscepisset, aequum erat, ut sicut qui prophetam recipit in nomine prophetae, mercedem prophetae accipit, non secus ipsa qui recipit Redemptorem in nomine Redemptoris, mercedem Redemptoris, quantum decebat eius matrem, acciperet. Merces autem Redemptoris sanguinem pro nobis in patibulo crucis effundentis exallatio fuit sui nominis, et gloria corporis, ita ut immortalis gloriae dotibus donatus in anima et corpore, in coelum scanderit. Simili ergo praemii genere gaudet Virgo, tantoque huiusmodi praemio Redemptoris Deiparam decebat remunerari, quanto manifestus est, ipsam ad redemptionem generis humani cooperatam fuisse, praebendo Christo sanguine, quo mediante, tanquam unico pretio, ipse solus genus humanum redemit.

Ad extremum, visio illa Ioannis (Apoc. 12): *Signum magnum apparuit in caelo; mulier amicta sole, etc.* non obscure mihi exprimere videtur assumptionem Deiparae Virginis secundum animam, et corpus: quia idem Ioannes aperte testatur, se vidisse ibi Virginem iam suscitatum, dum ait: *Mulier amicta sole*. Etenim cum nec anima seorsum, nec corpus seorsum mulier dici possit, sed pars dumtaxat mulieris, plane mihi significasse videtur, vidisse Mariam corpore, et anima constantem, splendidissimae gloriae dotibus conspicuam. Atque ut iam finem dicendi faciam, cum hodierna die b. Virginis in coelum anima, et corpore gloriosa ad dexteram filii sedet, videor mihi audire verba illa sibi usurpantem, quae Iudith triumphans, Bethuliam civitatem ingressa, protulit (Iudith 12): *Magnificata est hodie anima mea prae omnibus diebus vitae meae*, quia revera nusquam tot divinis charismatibus, ac caelestibus donis fuit cumulata, ac in festivo assumptionis die: nam quae in singulis diebus per partes susceperat, totidem simul hodie cumulatis suscepit. Magna suscepit in conceptionibus, cum a macula originariae culpae fuit divinitus praeservata: magna in die annunciationis, Filium Dei corpore, et plenitudinem gratiae animo suscipiens: magna in Bethlehemico partu, Deum intuens ex visceribus suis ortum: magna in Magorum regum adventu, cum propriam prolem a mundi principibus adorari conspexit: magna, cum duodenarium inter legis doctores cum summo audientium applausu illum disputantem audivit: magna, cum vidit illum a mortuis resurgentem: magna tandem, cum triumphantem ingenti sanctorum stipatum agmine super omnes coe-

los ascendere propriis oculis intuita est. Magnalia quidem sunt haec omnia, et ineffabilia; sed audent nihilominus Maria hodierna die dicere (Iudith 12): *Magnificata est hodie anima mea prae omnibus diebus vitae meae*; idque verissime affirmat, quia si in conceptione purissima ingressa est in mundum, nunc amicta puritate prior ingreditur coelum. Et si in die annunciationis suscepit Filium Dei, hodie fuit sub umbra, iuxta dictum Angelicum (Luc. 1): *Spiritus sanctus obumbravit tibi*; nunc autem suscipit illum absque umbra, sed sub claro lumine gloriae. Et si in die sui partus vidit filium a principibus adorari, id tamen fuit in praecipio facientem; nunc autem in regali throno ad dexteram Patris sedentem, summa religione ab angelis coli intuetur, qui non cessant clamare quotidie, una voce dicentes: *Sanctus, sanctus, sanctus*. Et si filium de rebus magnis discretissime agentem inter doctores vidit; nunc inter divinas personas medium locum secundum ordinem originis tenentem invenit. Et si in die Resurrectionis, necnon ascensionis victorem, et triumphantem illum conspexit, at cum gaudio illius felicitatis simul aderat moeror propter absentiam dilecti filii virginem animum excrucians; hodierna autem die gaudium purum, et ab omni dolore defoeatum totam eius animam exhilarat, immortalis gloriae mensuram suscipiens, bonam, et conferentem, et coagitalam, et superfluentem in sinu suo, ut cum Christo in aeternum regnet, cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

### HOMILIA XIII.

*Beatam Virginem in coelum assumptam in corpore glorioso, ex sacris Scripturis secundum sensum mysticum, ex sanctis Patribus, ex theologis scholasticis, ex universali Ecclesiae consensu, ac tandem ex multis coniecturis cum ratione valde coniunctis, demonstrans; pariterque aperimus errorem esse in fide il abnegare.*

Gratissimum Deiparae in corpore glorioso assumptionis argumentum disserere aggredienti, liceat fratres, eximii Ecclesiae doctores August. (serm. 1. de Assumpt.) egregia verba mihi usurpare: *Venerabile est mihi, Domine, et praecordius meis reverentissimum, de matre filii tui loqui, et de sanctissimo corpore eius linguam sermonibus occupare, quae sola meruit Deum, et hominem paritura suscipere, facta thronus Dei, et aula regis aeterni. Quae quia humanam rationem excedunt, spiritus tuus adit, qui suo sacro spiramine inducat nos in omnem dicendorum veritatem. Et quin de eius corpore, et animae loquendum est, quod ipse praeter naturalem usum sanctificavit, et gratiam contulit, non aliena nos dicere patiatur, sed propria ad laudem, et gloriam tuam Deus omnipotens Pa-*

*ter, et ad honorem filii tui per virginem nati, et eiusdem Spiritus sancti Dei, et Domini nostri, cum quo est tibi regnum, et imperium in omnia saecula.*

In hoc genere argumenti, ut iuxta morem meum perspicacitati consulam, irrefragabilem hanc veritatem de assumptione Virginis in corpore glorioso comprobabo. Primo ex locis sacrae Scripturae. Secundo ex antiquis Patribus. Tertio ex consensu, et traditione universalis Ecclesiae. Quarto ex rationibus, et variis coniecturis, quibus nonnisi protervus, et superciliosus dissentiat.

### §. I.

#### EX LOCIS SCRIPTURAE IN SENSU MYSTICO EXPOSITIS IUXTA SS. PATRUM SENTENTIAM.

Sanctus pater Augustinus, vel quicumque alius fuit auctor libelli (de Assumpt. Virg. cap. 1. tom. 9) non minus eleganter, quam vere dixit: *Quia quaedam Scriptura sancta veris investigationum studiis quaerenda reliquit, quae non sunt superflua destinanda, dum vera indagatio fuerit patefacta: foecunda est enim veritatis auctoritas, et dum diligenter discutitur, de se gignere, quod ipsa est, cognoscitur; haec ille. Licet autem sensus mysticus non convincat rebelles Haereticos, ut literalis, aedificat tamen fideles, quia verus est: et eum auctor Scripturae per Ecclesiam suam, se in veritate, et non superstitiose colentem indicavit. Igitur, si Dominus dixit: *Non est bonum, hominem esse solem, et ideo dedit ei consortium simile sibi, unde Adam, et Eva primi fuerunt introducti in Paradisum, ut habitatores, et incolae illius; recte in sensu mystico adumbrari intelligimus secundum Adam, et secundam Evam, Christum, et Mariam primos fuisse habitatores in corpore glorioso caelestis paradisi. Deinde verba illa Davidis (Psal. 131): *Surge Domine in requiem tuam tu et arca sanctificationis tuae, Niceph. (lib. 2. c. 13.), et antiquissimus Michael Glicas (in 3. par. analium) de requie in corpore glorioso Christi, et Mariae interpretantur; ita ut Propheta sermonem convertens ad Christum dicat: in surge ratione humanitatis, quae sola capax est resurrectionis; necnon et arca sanctificationis tuae, hoc est, Maria mater tua, in qua tanquam in mystica arca testamenti repositae fuerunt virga, tabulae legis, et manna, ac dulcissimum misericordiae manna. Idipsum etiam confirmat, quod olim in figura praecipit Deus, quod arca Domini portaretur posita super plaustrum novum. Quid enim aptius significare potest, quam quod mystica arca Maria in die assumptionis posita fuit in plaustrum corporis sui, novis et gloriosis dotibus exornato? Ad haec verba illa (Psal. 44): *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata aurea, sanctus Athanasius (serm. de Sanct. Deip. prop. fin. tom. 3) de eadem Virginis assumptione in corpore glorioso intelligit; et me-****

rito quidem: nam quatenus alia proprie magis regina, quam Maria, quae regem universorum peperit? et quatenus alia verius dici potest adstare a dextris Dei, quam Genitrix ipsius, qui maiora gloriae charismata praee omnibus illis contulit? et quidnam aliud potest esse vestitus ille deauratus, quam corpus Mariae glorificatum? Rursus palmes, quae corpus (Numeror. 13) legitimus, fuit cum holu pariter adductus ex terra promissa ad cognoscendam terrae bonitatem, quid aliud eleganti sacramum literarum meditatiore insinuat, quam Christum, tanquam botrum, et matrem tanquam palmitem, ex quo pendebat, corpore, et animo iam glorificatos nobis esse ostensos, ut caelestis promissae nobis terrae bonitatem, virtutemque agnoscamus, tanquam dulcissimos eius fructus? Item mare rubrum divisum ad ingressum filiorum Israel, et postea unicum contra Pharaonem, et Aegyptios, Maria sorore Moysi in tympano cantante, quid est iuxta spiritum, nisi anima Mariae a corpore eius divisa per montem; et rursus per Christum, quasi per virgum Moysim unum, confusus daemonibus, ac invidis Iudaeis? Quid plura? verba illa Sponsi in suo epithalamio (Cant. 7): *Quam pulchri sunt gressus tui in calcamentis, filia principis, non obscure mihi indicant assumptionem Virginis in corpore glorioso. Aptè hunc locum explicari posse arbitror per illum alium (Ezod. 4), ubi legitimus, quod Moyses cupiens miram illam visionem rubi videre, cum ad eam videndam appropinquaret, prohibitus est a Domino accedere, donec exeret se calcamento suo (Ezod. 4): *Tolle calcamenta de pedibus tuis, quasi diceret: si cupis Moyses, videre me, instar ignis ardere, discaleatus accede. Diversimode se habet in coelo ac in terra ignis divinitatis, sic enim vocat Deum sacra Scriptura (Deut. 4): *Deus noster ignis consumens est.* In terra quidem ignis est consumens, quia cum primum animam ingreditur, libidinis affectus absunt, et lascivientem carnem essiccat, ac cinerem, hoc est mortis memoriam, in fronte relinquit; in coelo autem non consumit, sed aedificat lucens, et in splendens, luminis gloriae radios in beatas mentes emittens. Unde ignis rubi ardens, et lucens, et illum non consumens, expressa imago fuit huius superni ignis deitatis Dei, et visionis beatificae illius. Quare et ibi vocat illum, *visionem hanc grandem*; ad idque significandum Dominus dixit ad Moysen, quod si vellet ad hunc increatum ignem accedere, oportebat illum calcamento corporis expoliari (Ezod. 4): *Solve calcamenta de pedibus tuis, quia non videbit me homo, et viet.* Merito ergo Sponsus laudat gressus Virginis calcatis pedibus in coelum incendentis, quia cum reliqui sancti ascendunt in coelum calcamento corporis expoliati, ut enim adnotavit d. Bernardus (in comment. hut. loc.), calcamentum, utpote ex mortuorum animalium pellibus confectum, mortale hoc corpus designat; ipsa tamen corporis sui calcamento ornata, pulchris gressibus incedens in caelestem aulam profecturatur. Cum autem Sponsus (Cant. 7): *Filiam principis beatam Virginem compellat, plane mihi videtur huius tam singularis privilegii***



rationem nobis exhibuisse. Etenim solus rex, et regina tantummodo in palatium suum regium ingredi equo vecti conseruerunt; ceteri quavis duces, marchiones, ac comites, cum ad palatium perueniant, infrant non equo delati, sed pedibus tantum, equo ad palatium portante relicto. Christus vero, et Deipara, tanquam rex et regina in coelum sanctorum hominum animo tantum, corpore velat equo, in morte deposito, et in sepulchro relicto. Tandem (*lib. 1. Regum cap. 30*) legimus, praecepisse Dominum, ut parva victoria in bello, aequale praemium reportarent pugnantem in illo, et qui remanebant ad sarcinas, et spullectilia exercitus custodienda. Non dissimiliter, quous solus Christus Dominus in praelio montis Calvariae cum hoste pugnaverit, et eundem expugnaverit (*Ioan. 11*): Nunc princeps huius mundi eicietur foras, ipse enim solus sanguine suo nos redemit, et hostem devicit (*Isai. 63*): Torcular calcavi solus; ipsa tamen Virgo Deipara remansit quasi ad sarcinas, et spullectilia supremi Ducis Christi servanda: ipsa consodivit crucem, clavos, coronam, linteam, quo erat praecinctus ad celanda, quae natura proflare veretur. Unde simili praemio, quo Christus invictissimus dux fuit remuneratus per glorificationem sui corporis, meruit B. Virgo in coelum ascendens remunerari. Regnat igitur cum filio mater animae, et corporis gloriosius dotibus insignita.

## §. II.

EX PATRIBUS, TAM GRAECIS, QUAM LATINIS, ALIISQUE MAGNI NOMINIS VETUSTIS DOCTORIBUS.

Autreae huic catenae sanctorum Patrum tam graecorum, quam latinorum primum annulum apponat d. Ioannes Damascenus (*in sermone de dormit. Virg.*), ubi enarrata eius morte, et sepultura, ita subiungit: Sed quomodo, quod ex ea constitit Verbi Dei corpus sanctum, et integrum, et interitui minime obnoxium, tertia de resurrexit ex monumento; ita etiam eam eripi et sepulchro decedat, et matrem transferri ad fluvium. Et quomodo ipse ad eam descendit, ita etiam eam illi dilectissimam, ad ipsum extolli in manus, et perfectius tabernaculum, nempe in ipsum coelum. Oportebat eam, quae Dei Verbum in suo utero hospitio exceperat, collocari in divinis sui filii tabernaculis: et quomodo dixit Dominus, debere se esse in iis, quae sunt sui Patris; ita etiam matrem oportebat habitare in regia filii in domo Domini, et in atrii domus Dei nostri. Si enim in ipso esse habitatio omnium, qui lactantur, ubi est causa laetitiae omnium, quae in pariendo integrum conservavit virginitatem, incorruptum conservari corpus etiam post mortem. Oportebat eam, quae Creatorem in sinu gestavit infantem, in divinis versari tabernaculis. Oportebat sponsam, quam Pater despondit, degere in thalamis coelestibus. Oportebat eam, quae suum filium in cruce aspe-

cerat, et doloris, quem in partu effugerat, gladium in corde acceperat, videre sedentem cum Patre; haec ille.

D. Athanasius, cuius in Ecclesia catholica magna semper fuit auctoritas (*serm. de sanct. Deip.*) haec nobis contestata reliquit: En nunc, nempe Virgo Deipara, ut regina assistens a dextris filii ubique regnantis, quasi in vestitu deaurato, incorruptionis, et immortalitatis circumamicta et variegata, sacris et solemnibus verbis celebratur; non quidem secundum, aut quasi sine corpore, et carne assistat, sed quod induta sit incorruptibilitate, et immortalitate. Variegata rursus est quantum attinet ad ossa sanctissima, quae eius carnem suffulciunt: nam ex carne eius, et ex ossibus eius, veluti ex veteri Adamo, novus iste Adam, ut viscera eius expleret, costam sibi fuxit, nimirum istam incarnationem, et eamque semel indutam perpetuo gestat; ac proinde, ita nova Eva mater vitae appellatur, variegataque permanet ad primitias vitae immortalis omnium viventium.

Beatus Andreas Cretensis archiepiscopus Hierosolymitanus, qui duas edidit orationes in encomium dormitionis sanctissimae Deiparae, quae extant apud Simeonem Metaphrastem, eam aperte corpore assumptam tradit, ac subdit ad eam convertens sermonem: Te nequaquam potest habere sepulchrum, corpus enim Dominicum non decet ea, quae intereunt. Adversus te non valebant Inferi, animam enim regiam non attingunt ea, quae serviunt cum aliis. Abi ergo, abi in pace, migra ex iis, quae sunt in natura creata mansionibus. Placa Dominum pro communi fomento: nam quamdiu quidem versabaris in terra, te habuit parva terrae portio; ex quo autem translata es e terra, te universus mundus continet commune propitiatorium. Supra Enoch magnificare, supra Heliam in altum extollere, in laetitia, in gaudio ineffabili, in aeterna luce, ubi est vere vivere, regnum totum lucidum, perpetua angelorum chora. Idem in encomio de dormitione Virginis hoc praeclearum habet: Quae auctorem vitae pepererat, eo in loco iam reditiva collocatur, ubi fons perennis est vitae: ubi nihil adest materiae fluxae, aut calidae: ubi nulla infestant molestiae, aut vitae huius aerumnas: ubi ingratae denique nullae obident rerum vicissitudines. Quid multis? spectaculum inter omnia, quae spectari possunt, pulcherrimum hodie exurgens, ac coelos omnes late penetrans, nos cum sempiterna illa mente, ac spiritu sermones miscet; quos is vel solus, vel maxime novit, qui corpus, et animam illius primo inter se iunxerat, moxque soluta indissolubili societatis vinculo, inter se rursus colligaverat. Idem in ser. quodam alio de dormitione Virginis nondum edito, habetur tamen in Vaticana bibliotheca, inducens Virginem loquentem, ait: Quid splendidius, aut magnificentius, quam Dei matrem vocari, et esse? ingenii ullius acie potest conformari. Modum vero, et rationem, quae ex hominum consortio, et convictu fuit separata, inde potestis convictum consequi, si locum, et gradum evolatis animo, ad quem corpus nostrum ex materiae mortalis contagione compactum et concretum, fuit a Deo transportatum. Corpus, inquam, virginitatis flore mirifice honestatum, et a Dei ma-

ximi maiestate assumptum: ex quo Christus omnis compositionis expertus fuit, quantum ad naturam humanam constitutus.

Divus pater Angelinus (*serm. de assum. tom. 9*), haec tanto Patre digna, pro sna in Virgine pietate profert: Pater, quos dedisti mihi volo, ut ibi sum, et illi sint mecum, ut videant claritatem, quam dedisti mihi. O magnam, et inaequabilem bonitatem Dei, qui habere suos in gloria vult, ut sua claritate fruatur, qui hic de fide iuncti, unum cum eo esse digni iudicantur. Si igitur eos secum habere vult, et hoc potest, quia omnia potest; quid aestimandum est de matre, ubi digna sit haberi, nisi in praesentia filii? Quantum igitur contuetur, quantum intelligo, quantum credo, Mariae animae claritate frui Christi, et gloriosis conspectibus eum semper videre sitiens, et semper concipiens, dum inaequabiliter pascitur, excellenti quodam spe clarificum in dextera Patris, et si non sum, per quod genuit, tamen sum, quod genuit. Et quare non sum, per quod genuit? Si enim non obtinerit, nec dum perspecta auctoritas, vere credo, et per quod genuit, quia tanta sacrificatio dignior caelo est, quam terra; quoniam thronum Dei, thalamum Domini, domum, atque tabernaculum Christi dignum est ibi esse, ubi ipse est. Et quibusdam aliis interiectis, haec subdit: Consideratis igitur huius universis, vera ratione confitendum censeo, Mariam in Christo, et apud Christum esse. In Christo, quia in ipso vivimus, movemur, et sumus: apud Christum, gloriose ad aeternitatis gaudia assumptam, benignitate Christi honoravit praeceteris; nec usque ad communem humilitatem esse abductam post mortem, putredini videlicet et vermi, et pulveris, quae suum et omnium genuit Salvatorem. In cuius si potestate est, sanctorum de capite capillum non perire, est et illam animam, et corpore integrum posse servare. De cuius potestate, si nullus dubitet ecclesiasticorum, quin possit matrem sine corruptione in perpetuum servare, cur dubitandum est voluisse, quod attinet ad tantae benignitatis gratiam?

Divus Gregorius Nazianzenus (*in Tragedia de Chris. pat.*), assumptioni Virginis in corpore immortalis plane consentit, ut illa eius carmina indicant:

O ter beata mater, o lux Virginum.

Quae templa coeli lucidissima incolis.

Mortalitatis liberata sordibus;

Ornata iam immortalitatis es stola.

Sanctus Germanus Patriarcha Constantinopolitanae (*serm. 2. de dormit. sanctis. Virg.*) in idem argumentum sic loquitur: Tuum virgine corpus omni ex parte sanctum, erectum ad summam incorruptibilitatem, vitae illaesum, vivum spirans, perpetuum in posterum insomne servatur, ut vas, quo Deus exceptus est. Perat ergo in posterum mors, perat tumulus, perat pulvis, quod ad te attinet, o Dei genitrix.

Beatus Cosmas Hierosolymitanus, Glyca auctore graeco id referente, beatam Virginem aliquoties, haec verba protulit: Victricis trophaea CARTHAGENA DE B. M. V. — Vol. II.

contra naturam, o Dei vera mater, exerxisti, et imitans filium tuum, tumque opifcem, omnes naturae leges supergredis. Quare vere semel mortua, postea cum filio tuo semper victura suscitata.

Santa Birgilla (*lib. 1. suar. revel. cap. 8*), quas constat a concilio Constantiensi esse approbatas, eandem beatae Virginis assumptionem in corpore glorioso huius verbis expressit: Tu es, quasi myrtha electa, cuius odor ascendit ad deitatem, et deducit eam in corpus tuum; et animam in deitatem, ubi nunc est cum corpore, et anima: et (*in serm. angl.*): Vere, inquit, remota omni ambiguitate, credendum est, quod sicut a Dei amicis corpore illud Virginis beatissimae sepultura tradebatur mortuum; ita ab ipso Deo filio suo amantissimo ad vitam perpetuam, vivum cum anima venerabiliter est assumptum.

Beatus Andreas monachus Cisterciensis, et episcopus Lausanae (*hom. 7*) haec scribit: Maria prima post Deum super omnes coelestias in sede gloriae collocatur: ibi resumpta carnis substantia, neque enim credi fas est, corpus eius vidisse corruptionem, et duplici stola, Deum, et hominem, in utraque natura, quanto ceteris clarior, tanto ardentius universis mentis, et carnis oculis contemplatur.

Nicephorus (*lib. 2. Ecl. hist. cap. 22*) idipsum discrete pronunciat in haec verba: Ubi ad Gethsemane percutum est, sepultura quidem illa fluvium imitata traditur: per illum autem ad divina tabernacula, ad ipsum scilicet paradysum, ubi et vitae arbor consita est ea ratione, quam qui haec fecit, Deus novit, transferatur.

Accedi Michael Glycas (*3. par. annal.*), ubi haec legit: Tametsi Virgo mater naturae legibus fuit obnoxia, tametsi mortem degustavit, tametsi, ut homo, in sepulchro est posita; naturae tamen fines, ac terminos superavit, et excessi; neque sepulchrum, nec mortalitas eam in potestate sua retinere potuit. Nam et ipsa de sepulchro resurrexit prorps, ut filius eius, idemque Deus etiam fecerat, solis sepulchralibus excavis in monumento relicto. Tum idem ad Alibiium monachum scribens, inter cetera hoc etiam tradit: Qua ratione Maria omnis labis experta, per mortem ad vitam corpore simul, et anima transierit, id admirabiliter atque disertis Andreas Cretensis. Sed ne minus quoque perspicue, et clare isthaec ipsa ob oculos ponit magnus ille Hymnographus Cosmas (*Tu, inquit ille, sacra, et casta Virgo, quae praeter naturae ordinem Deum enixa es, clara victoriae symbola deferens, illumque qui te genuit, amulata super naturam naturae legibus concidis: nam et moreris, et mortuo cum filio, denuo excusciaris una cum illo in ommem victura aeternitatis; haecenus ille.*

Adtinge Leonem imperatorem, cui Sapientis cognomenum haud temere tributum fuit. Hic diserta quodam oratione de obdormitione Mariae, sermonem ad illam convertens, in hunc modum ad eam fatur: O super omnes benedicta, qui solus magnalia facit praepetens filius tuus, quid hodie tibi praestat? quid agitur? quod spectaculum exhibetur? an non obscuro te, sanctificationis arcam, te ornatissimum thalamum, et divinisimum thronum ad suum divinum, et



augustale templum transponit? An non te illam, ex qua carnis indumentum, quo cum inter homines versatus est, suscepit, ad summa colorum fastigia cum carne desumens, ut cum ipso in carne versaretis evehit? Et ne nulla illam, prolixum enim est omnia repetere, Mariam una cum corporis sui tabernaculo ad filium translata, ac indissolubili societatis, consuetudinisque vinculo longe, arctissimeque Christo coniunctam esse, sermone Iuvenio testatur Baptista Mantuanus libro octavo Factorum Virginis, ubi haec praecelara Carmina cecinit:

Haec est illa dies, qua Christus in aethera matrem Sustulit indutam membris: sic credere sanctum est. Nam neque erat locus in terris, ubi viscera cendi. Fas erant, aeternum, quae progeneret tonantem.

Ac tandem, ne in referendis sanctorum Patrum, ac veterum doctorum testimonis prolixior videar, quam par est, consulto praetereo Dionysium Aroepagitam (*de divinis nominibus cap. 3*), Gregorium Turonensem (*de glor. Mart. lib. 1. cap. 4. et 9*), Timotheum presbyterum Hierosolymitanum (*orat. de Proph. Simeo.*), Iuvenalem Hierosolymorum Episcopum (*cat. ver. refert Metaph. de assumpt. Virgin.*), Richardum de sancto Victore (*lib. 3. erudit. Theolog.*), Maximum Abbatem (*in oration. de dorm. b. Mar.*), quae Sarius adducit (*l. 4. die 15. Aug.*), Absalonem Abbatem, beatum Petrum Damianum, Honorium Augustodunensem, Pandulphum, Brunonem (*ser. de assumpt.*). Contentus ero nunc, revelationem factam prodigioso, ac sanctissimo viro nostro, divo Antonino enarrare. Commemorat auctor Pomerii (*sermonum de b. Virgine lib. 10. par. 1. art. 3. in fine*), quod divus Antonius aegre ferens lectionem quandam d. Hieronymi, ut ferebatur, quae olim in die festo Assumptionis legebatur, fuit tamen postea abolita, in qua in dubium revocabat Assumptionem Deiparae in corpore glorioso, noluit chorum adire: cui angelus apparens dixit: *Cur Antoni non vis ire ad matutinum?* eam ipse causam adhibuit, quod aegerime ferret praedicantem lectionem in choro audire. Haec autem illa dicente, continuo ingressa est ad eum beata Virgo, magno angelorum coetu stipata, ad cuius pedes procumbens Antoninus, enixe ab ea postulavit huius mysterii certitudinem; cui beata Virgo respondit: *Serare Antoni veritatem haec et credere, et praedicare potes.*

## §. III.

EX COMMUNI SENTENTIA OMNIUM THEOLOGORUM, ET QUOD EFFICACIES EST, EX UNANIMI CONSENSU, ET TRADITIONE ECCLESIAE, TAM GRAECAE, QUAM LATINAE CELEBRI MIRACULO CONFIRMATA.

In primis haec veritatem docuit angelicus doctor d. Thomas Aquinas, qui instar mille est, (*3. par. quaest. 27. art. 2. in corpore, et opusculo 8*), sanctus Bonaventura (*in Speculo Mariae, cap. 2*), divus Antoninus (*1. par. hist. tit. 6. cap. 3*), doctor Ioannes Gerson (*Alphab. 14*); et ut paucis multos complectar, idipsum constanter affirmant universi Scholastici (*in 3. distinct. 3*), et moderniores doctores (*sup. 3. partem d. Thomae*). Accedit, quod et veritatem hanc fortius stabilivit universa Ecclesia catholica, celebri festo assumptionem Virginis in corpore glorioso celebrando. Dicere autem non celebrare nisi assumptionem animae, inane mihi videtur subterfugium: nam cum revera animae aliorum sanctorum deferantur in coelum, et nullius assumptionem confiteatur, ut celebret; manifestum est, quod cum solius Virginis assumptionem celebret, proprie, et in rigore intelligit assumptionem, prout refertur ad corpus. Est autem haec festivitas antiquissima, non solum a tempore Maurilii, et Gregorii, ut refert Niceph. (*lib. 16. c. 28*), sed ab Athanasio, Andrea Creten. Iuvenali, Glyca, et aliis antiquissimis a me supra relatis, qui illius meminere. Eiusdem praeterea festi, imo et praecipui illud observandi, meminit concilium Moguntinum sub Carolo Magno (*cap. 36*); et indubitata Ecclesiae traditio, et consuetudine sub hac existimatione recepta praecipuum hoc inviolabiliter ab Ecclesia observatur. Unde divus Bernardus (*epist. 174*) tantum has duas festivitates Virginis, ut ab Ecclesia universaliter praecipuas, recognoscit, nativitatem, et assumptionem, easque aequiparat, dicens: *Accepi ab Ecclesia illum diem cum summa veneratione colendum, quo assumpta de saeculo nequam, caelis quoque intulit celeberrimum festa gaudiorum. Sed et ortum Virginis nihilominus in Ecclesia, et ab Ecclesia indubitanter habere festivum, atque sanctum firmissime cum Ecclesia sentiens in utero eam accepisse, ut sancta prodiret.* Refert etiam Nicephorus (*lib. 2. cap. 22. et lib. 14. cap. 14*) tanquam traditionem Virginis, resurrectionem narratam fuisse in concilio Chalcedonensi a Iuvenali episcopo Hierosolymitano, et ibi fuisse approbatam. Ex quibus omnibus facile colligam gradum certitudinis, quem iam obtinet in Ecclesia catholica veritas assumptionis beatae Virginis in corpore glorioso. Scio d. Augustinum (*ser. de assumpt.*) tanquam probabiliorum solum, et cum ratione magis consentaneam illam amplecti. Scio Abul. (*Matth. 21. quaest. 23*) non aliam certitudinem ei praebere, quam opinionis probabilioris Scio cardinale Caietanum (*opus. de Concept.*), cui consentit Magister Sol. (*in 4. distinct. 43*), solum dicere, piam esse sententiam. Verum

celebre magister Canus (*lib. 12. de locis com. cap. 11*), quem secutus est noster Corduba (*lib. 1. quaest. quaest. 17*), assumptionem Virginis in corpore glorioso negare, iudicat petulantem esse temeritatem. Quod idem his verbis confirmat Baronus, dum postquam dixerat (*tom. 1. Annali. anno 48*) communem esse hanc Patrum sententiam, et universalem usum Ecclesiae, subdit: *Perfricatae mentis, et procaeci animi iudicium est Ecclesiae universalis usui, et tot Patrum sententis non acquiescere, et maxime omnium esse temeritatem his omnibus contradicere.* Ut tamen in re haec meam sententiam luculenter aperiam assero, quod licet veritas haec non sit de fide, ut contendit Catharinus (*lib. 4. con. Caiet. et dicto opus. de conc. cap. 1*), quia revera nec adest testimonium Scripturae, aut illa firma traditio, quae infallibilem faciat fidem; illam tamen negare, plane mihi videtur erroneum, quia pugnat cum omnium catholicorum sensu, nemine contradicente; seu cum communi Ecclesiae catholicae iudicio, quae assumptionem Virginis in corpore, solemniori ritu colendum omnibus fidelibus proponit, et praecipit. Nihil autem reipsa falsum Ecclesia catholica, quae spiritu veritatis regitur, colendum potest praecipere fidelibus. Accedit, quod in ritibus ecclesiasticis, cuius initium non invenitur, ab apostolis manasse creditur, ut unanimi consensu docent theologi. Festi autem assumptionis Virginis in corpore glorioso, certum, et constans initium non reperitur: merito igitur ab apostolis manasse creditur, qui testes illius fuerunt, ut Nicephorus, et alii supra relati contestantur. Quare existimo, non minus certam esse in Ecclesia catholica assumptionem Virginis in corpore glorioso, quam sanctificationem eiusdem in utero materno, cui dissentire erroneum iudico propter rationem factam. Immo Catharinus (*lib. 4. contra Caietan.*), et Corduba (*lib. 1. Quaest. quaest. 44*), putant esse haereticum, illas autem duas veritates de sanctificatione in utero materno, et de assumptione in corpore glorioso parificari, quantum ad certitudinem d. Thom. (*3. par. quaest. 27. art. 1. in corpore*). Atque hinc factum arbitror ex divina providentia, quod ut veritas haec tenacius fidelium animis inhaereret, voluit illam Deus celebri miraculo confirmare. Narrat enim Petrus Cluniacensis vir sua aetate, doctrina, et pietate insignis, (*lib. 2. de miracul. cap. 30*), Romanorum morem fuisse, ut festum assumptionis colerent, cereos maximos facerent, eosque ante paratos, vigilia festivitatis ad Ecclesiam sanctae Mariae Maioris deferrent, atque vespertina hora accenderent. Pondus tamen eorum aqua lance pensatum domi retinebant, ut sequenti die, solemnii missa peracta, eos rursos pensantes, quantum de quantitate eorum ignis absumpsisset, iudicante statera, cognoscere valerent. Contigit autem, quod cum eos sequenti die domum retulissent, et ponderassent, deprehenderunt idem esse pondus, atque prius erat. Quod mirabile portentum in ipsa Romana urbe, in templo illo, et non semel, sed anno recursum fieri solitum expendit ibi gravissimus hic auctor, dicens: *Ostendit Deus hoc signo, nihil eorum perire, quae in*

Virginis beatissimae cultum, et honorem expendantur, sed id totum esse Deo gratum, et maxime acceptum.

Verum dicet quispiam, hanc veritatem de Virginis assumptione in corpore glorioso non ita certam esse in eo gradu, in quo nos contendimus, cum divus Augustinus, et divus Hieronymus de illa dubitaverint. Etenim divus Augustinus (*serm. de Assumpt.*) inquit: *Quo ordine hinc ad superna transierit regina, nulla catholica narrat historia. Non solum autem respicere apocrypha, verum etiam ignorare dicitur haec eadem Ecclesia: siquidem sunt nonnulla sine auctoris nomine de eius assumptione concepta, quae ut dixi, ita caventur, ut ad confirmandam veritatem legi minime permittantur. Haec sane pulsantur nonnulli, quia nec corpus eius in terra invenitur, nec assumptio eius cum carne, ut in apocrypha legitur, in catholica reperitur historia: et infra subdit: Quid de his, de quibus loquor dicam, cum nec ipse, qui haec accepit ante crucem Domini, in sua, id est Ioannes evangelista, de hoc posterius aliquid retinendum scriptis mandaverit? nullus enim hoc fideliter narrare potuit, si illud Deus manifestare voluisset, quam ille utique, qui haec nutriendam suscepit, nec contra a morem filius matrem reliquit. Restat ergo, ut homo mendaciter non fingat aperitum, quod Deus voluit manere occultum. Vera autem de eius assumptione sententia haec esse probatur, ut secundum apostolorum, sive in corpore, sive extra corpus ignorantes Assumptionem super angelos eam esse credimus. Unde Usuardus, et Ado in suis Martyrologiis, die decimaquinta augusti, haec apposerunt ad imitationem verborum d. Augustini: *Decimo octavo kalendas septembris. Dormitio sancta Dei genitricis Mariae, cuius sacramentum corpus, etsi non invenitur super matrem, tamen pia mater Ecclesia eius venerabilem memoriam sine festinam agit, ut pro conditione carnis eam migrasse non dubitet. Quod autem venerabile illud Spiritus sancti templum nutu, et consilio divino collocatum sit, plus elegit sobrietas Ecclesiae eum pietate necesse, quam quid frivolum, et apocryphum inde tenendo crederet.* Verum in primis, sermonem illum non esse divi Augustini, praeter Lovaniensem scholam id affirmantem, ut tradit cardinalis Baronus (*tom. 1. annal.*), anno a Christo quadragésimo octavo, vel una illa ratio id manifestissime comprobatur, nam cum ibi ceteris ab eo auctore Isidorus, manifeste relinquitur, divum Augustinum non esse illius sermonis auctorem, ut bene observavit ibidem Baronus. Deinde manifestus est, quam probatione indigeat, nullibi Ecclesiam catholicam professam fuisse, se necesse Virginis assumptionem in corpore glorioso, quia licet nullum de ea re decretum edixerit, in ipsis tamen sacris Ecclesiasticis precibus, quae recitare consuevit, id affirmat versibus, responsoriis, antiphonis, et lectionibus sanctorum Patrum plane id attestantium.*

Sed venio iam ad Hieronymum, sub cuius nomine illa verba (*ser. de Assumpt. Mariae ad Paulam, et Eustoch.*) leguntur: *Si venerit in manus vestras illud apocryphum de transitu Mariae Virginis, dubia pro certis non recipi-*



tis, quod nulli latinorum pietatis amore, et studio legendi charius amplectuntur. Monstratur autem sepulcrum eius usque ad praesens in valis Iosaphat medio; haec idcirco dixerim, quia nulli nostrum dubitant, utrum assumpta fuerit simul cum corpore, an abierit relicto corpore. Quomodo autem, vel quo tempore, aut a quibus personis sanctissimum corpus eius inde ablatum fuerit, vel ubi transpositum, utrumne resurrexerit, nescitur; quomvis nonnulli adstruere velint, eam iam resuscitatam, et beatam cum Christo immortalitate in coelestibus vestiri. Verumtamen quid horum verius censeatur, ambigimus; melius tamen Deo totum, cui nihil impossibile est, committimus, quam ut aliquod temere definire velimus auctoritate nostra. Sed et utrum redierit in pulverem terrae, certum non habemus. Ceterum sermonem illum non esse divi Hieronymi, immo nec Sophronii eius comitis, ut placuit Erasmo, satis utique illud probat, quod ibi auctor ille totus est in expugnando errore Nestorii, quem longe post Hieronymi, ac Sophronii tempora vixisse, nulla est dubitatio; maxime quod tempore d. Hieronymi nulla aborta fuit haeresis adversus Christi incarnationem. Nestorius autem, et Eutiches, cuius errores auctor ille confutat, contra substantiam Incarnationis directe tendebant. Deinde, quia auctor illius sermonis expresse fatetur, ibi tempore suo Dei Genitricis sepulcrum omnibus esse manifestum. Incredibile autem est, quod divus Epiphanius Hierosolymis saepe versatus non agnovisset tale sepulcrum. Ipse autem ambigit, an beata Virgo mortua fuerit, ut praecedenti libro vidimus (*homilia prima*). Incredibile etiam est, quod divus Hieronymus (*epistol. 27*), referens cuncta Palaestinae loca, quae sancta Paula Romam veniens minutim percurrit, ut sepulcra patriarcharum, immo et mausoleam Helenae Adiabonorum reginae, quae tempore Claudii populum fame laborantem pavit; minime praetermisisset sepulcrum Deiparae. Quis enim ita inops mentis erit, ut sibi persuadeat, unum tantum Dei genitricis sepulcrum a Paula spretum, ut non inviseret: vel Hieronymi mente excidisse, ut eius non meminisset? Ac tandem, etiam si gratis desumus, Hieronymum, et Augustinum de hac veritate dubitasse, qui tamen revera non dubitarunt, sed multis exornarunt, et praecipue Augustinus variis rationibus confirmavit, nihil certe eorum dubitatio propositae veritati officit: quia etiam Thomas, et alii Apostoli de Christi resurrectione dubitarunt, et multi etiam libri, qui modo habentur canonici, olim in controversiam vocati fuerunt. Nec enim, quod illa aetate non erat satis discussum, aut exploratum, necesse est perpetuo indiscussum, et ambiguum manere: modo enim de Virginis assumptione adest universalis consensus Ecclesiae, qui tamen tunc non vigeat. Ecclesia namque catholica, instar aurorae, quotidie crescens in agnitione veritatis, omnia iam certitudinem, quam huic veritati potest praebere, praeter eam, quam secum affert definitio, de facto illi tribuit. Quibus omnibus mirifice consonat, quod beata Birgitta (*lib. 6. suar. revelat. cap. 67 in fine*), his verbis in persona Virginis loquens,

dixit: Quia vero assumptio mea non multis cognita fuit, nec praedicata a pluribus, hoc voluit Deus, qui est filius meus, ut prius infigeretur cordibus hominum credulitas ascensionis suae; quae corda hominum difficilia, et dura erant ad credendum ascensionem eius, et quanto magis si praedicata fuisset statim initio fidei assumptio mea? haec illa, docens primo fidelium cordibus imprimendam fuisse fidem ascensionis Christi, quam assumptionis beatae Virginis. Nam, ut Adam primo creatus est, deinde ex eius coela Eva formata, ita primo plantanda fuit fides Christi, et paulatim sanctissimae matris eius ornamenta, et privilegia tradenda.

## §. IV.

## XX VARIIS RATIONIBUS, ET URGENTISSIMIS CONIECTURIS.

Illam, tam communem, quam efficacem rationem primo loco appono, quae ex verbis divi Matthaei (*cap. 27*) desumitur, dum testatur, Christo Domino resurgente, multa corpora cum illo resurrexisse: *Monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt*. Eos autem non iterum interire, sed immortalitate donatos cum Christo in coelum ascendisse gravissimi Patres tradunt. Origenes (*lib. 1. sup. epist. ad Rom.*), divus Clemens Alexandrinus (*lib. 6. Stromat.*), divus Epiphanius (*haeres. 75*), divus Ambrosius (*lib. 4. de fid. c. 1*), ac tandem d. Anselmus (*sup. Matth.*) dum ait: *Qui resurgente Domino resurrexerunt, etiam cum illo ascendente, simul ascendisse credendi sunt: nec ulla ratione illorum temeritati fides accommodanda est, qui postea illos reversos in cinerem dicunt*. Huius egregiam rationem tradit Sophronius, vel quicumque alius auctor est (*sermon. de Assumpt. Virgin.*), quia *veri testes isti non essent, nisi ad immortalem vitam fuisset eorum resurrectio*. Unde et beatus Petrus (*Actorum secundo*) dixisse legitur, cum de David loqueretur: *Et sepulcrum eius apud nos est, quasi non sit ausus dicere, quod ipse, aut corpus eius apud ipsos esset, sed tantum sepulcrum, quia agnoscebat illum iam resurrexisse ad vitam immortalem*. Si ergo Deus quorundam famulorum suorum corpora, gloria, et immortalitate cumulata sibi associavit; credibile non est corpori matris suae hoc singulare privilegium denegasse.

Secundo, mihi efficax coniectura est, quam nemo sanae mentis abiecit, quod corpus beatae Virginis nullibi in terra reconditum novit Ecclesia catholica, ut debitam ei, sicut par erat, exhiberet venerationem. Etenim cum Deus toties sanctorum suorum corpora, ubi parum honorifice iacebant, revelavit, ut inde erant magis coonestarentur, ac maiori in veneratione. Unde sanctae crucis, beatique Stephani reliquias detexit, et beatorum Gervasii, et Prothasi corpora beato Ambrosio aperuit: quorundam etiam sepulcra, ut Clementis, et Catharinae, angelico ministerio praeparata, et

exornata legitimus: nec non aliorum mausoleae auro, et gemmis decorata, ac fidelium crebra visitatione magnificentia, variaeque prodigia ad eorum praesentiam facta longa experientia docet. Cum igitur beatae Virginis corpus dignius multo sit cultu, et veneratione prae omnibus aliorum sanctorum corporibus, nemo sibi persuadebit, Christum Dominum hoc honore privasse corpus matris suae, si in terra permansisset. Nec enim filius honori matris invidet, aut sacrosanctum illius corpus sub caliginis terrae latitare voluit, ne ut illud Moysi adoraretur; cum certe hyperduliae adoratio propter excellentiam maternitatis divinae illi debita sit. Unde divus Bernardus (*ser. de Assump.*) inquit: *Quoniam sanctorum corpora pretiosa Deus sublimavit, ut puta Petri, et Pauli, quae tam gloriose venerabilia reddidit, et honore tam mirifico sublimavit, ut et ipsis deputetur locus venerationi congruus, et ad ipsa mundus properet universus. Si Mariae corpus super terram esse dicatur, cum nec devota frequentatione fidelium veneretur, nec eidem deputetur locus honoris, nimirum Christus videbitur honorem materni corporis contempsisse, cum tamen super terram aliorum corpora sic honoret; haec divus Bernardus: quibus consonant, quae scribit d. Augustinus (*serm. de Assumpt.*) dicens: *Quia in vita prae ceteris illam gratia sui conceptus honoravit, pium est credere singulari salutatione eam in morte specialiori gloriosae honorasse*.*

Tertio, si Dominus Marthae hospite, quae domi suae illam excepit ad tempus, tantum habuit honoris, ut eam cum sorore sua scriptis illustraverit, et celebraverit evangelicis. Si praesepe, in quo natus est ad horam repositus, ita exornavit. Si Nazareth, ubi conceptus, atque nutritus, tanta decoravit gloria, ut cerneret licet in domo Lauretana, quae in haec usque diem incluta est, et perillustis. Si crucem, in qua tribus tantum horis pependit, et sepulcrum, in quo ad tres dies mortuus iacuit, tantopere sublimavit; quod ferendum de matre iudicium, quae vera est Martha, tot annis hospitans Dominum, verum praesepe, in quo liberent reclinatorum fuit Filius Dei; vera Nazareth, ex cuius visceribus conceptus est; animata crux, praesentia cuius in cruce non minus Dominus affligebatur, quam externa; sacrosanctum sepulcrum, quod sponte, magnaque cum humilitate, ac fide, vivum Christum ad mundi salutem profudit?

Quarto, quia divinum praecceptum est de honorandis parentibus (*Exod. 20*), (*Deuter. c. 5*), et (*Matth. c. 15*): *Honora patrem tuam, et matrem tuam*: et Apostolus (*ad Ephes. 6*) subiunxit: *Hoc enim iustum est, scilicet, iustitia naturalis, iuxta philosophi sententiam (S. Ethic. in fine), nec non iuxta legem veluti ff. de iust. et iure iuncto. c. legis praecedentis*. Cum igitur Christus Dominus non venerit solvere legem, sed adimplere, manifestum est non solum Patrem honorasse, ipso dicente (*Ioan. cap. 8*): *Ego honorifico Patrem meum*; sed et matrem etiam; unde et honoravit eam in vita, in omnibus ei obediendo, ut ait divus Lucas (*c. 19*): *Subditus erat illis*. Honoravit eam pro-

pe mortem, commendans illam discipulo Ioanni: honorasse ergo illam post mortem iustum erat. Nec sufficit dicere, honorasse eius animam, quia praeter quam corpori etiam matris honor debetur, et beneficentia, ut habetur (*cap. ceterum, 86. dist.*): de tanti filii magnificentia qui sibi praesentat, dimidium honorem matris suae tribuisse, animam solum, non corpus honorans? Honoravit igitur, et glorificavit corpus, et animam. Unde b. Guericus (*serm. 4. de Assumpt.*) in persona Christi loquens, ait: *Ego sum, qui patrem, et matrem honorandos filius commenlabi; ego, ut facerem quod docui, et exemplo essent aliis, ut patrem honorarent in terram, descendi: nihilominus, ut matrem honorarem in coelum reascendi, et praeparavi ei thronum gloriae, ut a dextris Regis regina coronata consideret, in vestitu deaurato, circumdata varietate*.

Quinto, quia si qua ratione quidam olim dubitarent de beatissima Virginis assumptione in corpore glorioso, maxime fuit propter universalem legem, quod in die iudicii differenda est omnium resurrectio, iuxta illud d. Pauli (*1. Cor. 85*): *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*. Hoc autem infirmum fundamentum est ad id Deiparae Virgini denegandum, quia etiam est universalis illa lex lata: *Omnes nascimur filii irae*. Pulvis es, et in pulverem revertetur. In dolore paries filios tuos, et similes aliae; et tamen nemo catholicus negat b. Virginem sanctificatam fuisse in utero materno, atque adeo non esse natam, *filiam irae*. Nemo etiam catholicus inficiatur Dei genitricem equae dolore, salva integritate, peperisse. Nemo tandem catholicus putat, sacramentum illud Mariae corpus eadem fuisse verum, et in cinerem redactum, licet aliquando de omnibus his lata sit lex in contrarium. Si ergo haec Virgini collata privilegia pensentur, facile quisque sibi persuadet assumptionis in corpore glorioso singulare privilegium minime Deiparae fuisse denegatum. Unde d. Aug. hanc rationem tangens (*serm. de Assumpt. tom. 9*) ubi postquam dixerat: *Promeruit hoc singularis sanctitas eius, et singularis gratia, qua susceptione Dei singulariter existimanda est digna, subiunxit: Non immerito ergo excipitur a quibusdam legibus generalibus, vera aestimatio, quam tanta servat gratia, et attollit dignitatis praerogativa*.

Sexto, quia si recte perpendatur hoc privilegium assumptionis Virginis in corpore glorioso, maxime Deum decebat illud eidem conferre, cuius potentia, quae olim corpus Enoch, et Heliae servavit, in hoc beneficio mirifice se ostentat: illustrat deinde eius sapientiam, ac in promissis fidelitatem, largiendo pro suo amore plura, quam promisit. Decet filium Dei, cuius honor est omnimoda gloria matris, ut enim ait (*Eccles. 2*): *Gloria hominis est ex honore parentum*. Ad haec convenit Spiritui sancto, quia *qui suscitavit Iesum a mortuis, ut ait Apost. (Rom. 8), revivificabit et mortalia corpora vestra; et ut praecessit illi resurrectio illam matris, et omnium; ita illa matris debebat eam, quae omnium est, praecedere*. Contulit etiam ad decus angelorum, quos sua assum-



ptione, ac praesentia exhilaravit, Ecclesia catholica canent: *De cuius assumptione gaudent angeli, et collaudant filium Dei*; ac ne habeant penes se dimidiam Regnam, sed integrum corpore, et animo constantem. Denique propter nos ipsos summe id expediebat, tum ad stabilendam fidem in nobis de humana in utroque sexu glorificatione, et ascensione; tum ob spem nostram erigendam, dum villa gloriosa a capite Christo per venerabile collum Virginis ad nos tanquam membra descendit. Unde Michael Glycas in epistola ad Alipium monachum scite dixit: *Quemadmodum post primum peccatum parentum, corpora propter peccatum interitum facta sunt obnoxia; et hinc huiusmodi pestis, et labe per omnem eorum posteritatem promanavit: sic modo duo corpora facta corruptionis ignara, et nescia, primitiae suae vitae, quam expectamus sempiternae. Tum tandem ob christiandem in nobis nutriendam, certamque exauditionis praesentiam fiduciam, dum cognoscimus illam totam esse nobis intentam, et nihil de se, aut corpore suo sollicitam. In quo omnes alios plane vincit coelestem, quorum vota, et carae partim ad seipsos corporis sui unionem expelentes, partim ad nos extenduntur.*

Septimo, quia b. Virgo plenitudinem obtulit gratiae, non solum in anima, sed et in corpore, iuxta illud Gabrielis (c. 1): *Ave gratia plena*: unde illo dicente (*ibid.*): *Spiritus sanctus supererit in te, et virtus Altissimi obambrabit tibi*; manifestissimum est supervenisse Dei virtutem, non solum in animam, sed in corpus Deiparae, plenitudine gratiae ei proportionata illam cumulantem. Caput eius plenum erat gratia, per ingem arcanorum contemplationem: facies eius plena erat gratia, adeo ut in intuitibus illam, libidinem extingueret, ut docet d. Ambros. (*de instit. Virg. cap. 7*). Plena erant gratia labia eius, ad imitationem filii sui, de quo David cecinit: *Difusa est gratia in labiis tuis*. Taeta fuit gratiae laborum eius plenitudo, ut ad paucissima illa verba (*Luc. 1*): *Fiat mihi secundum verbum tuum*, ipse antequam in virgineum thalamum descendere, et ex eo carnem assumeret; ad unicam eius salutationem in domo Zachariae repleta fuerit gratia Elisabeth, et Ioannes in utero materno sanctificatus: *Ut audivit salutationem Mariae Elisabeth, exultavit infans in utero eius, et repleta est Spiritu sancto Elisabeth*. Aurea eius plenae erant gratia, quae audire meruerunt, non solum angelica colloquia, sed et dulcissima verba Christi, tam infantis, quam pueri, quam iuvenis. Manus eius plenae erant gratia, quae millicies corpus Domini gratiae fontem conlectaverunt. Plena erant gratia viscera, et ubera Mariae, ut coram omni populo ingenue fassa est mulier illa, quae exclamans dixit (*Luc. 12*): *Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti*. Cum igitur ad plenitudinem gratiae correspondet plenitudo gloriae; certe cum Deipara Maria plenitudine gratiae obtinuerit in anima pariter, et in corpore, aequum erat, ut ei in utroque corresponderet plenitudo gloriae. Quod si quispiam mihi dicat, debitum quidem esse

huiusmodi plenitudinem, sed suo tempore dandam in communi omnium resurrectione. At quis sibi persuadeat, plissimum, et gratissimum filium matri suae id distulisse dare, quod unusquisque nostrum, si in eius potestate esset, vellet matri suae imperiri? maxime, quod si, ut theologi concedunt, b. Virgo meruit accelerationem conversionis aquae in vinum, nec non accelerationem resurrectionis Christi Domini; satis utique cum ratione coniuncium esse censendum est, accelerationem gloriae sui corporis similiter meruisse. Etenim b. Virgo adeo sollicitam curam exhibuit in implenda sui corporis sollicitam, ut per omnia voluntate filii sui, ut per illam mereretur impleri sibi non solum appetitum elicitem glorificationis sui corporis; sed et naturalem, innatum, et congenitum, quem anima habet ad unionem cum suo corpore.

Octavo, quia omnis incuria, et inurbanitas longe a Christo Domino releganda est, quem summa comitate praeditum esse nemo ambigit: quis autem non videat inurbanitatem filii esse, pretiosa veste matrem spoliare? Sane corpus vestis est, et indumentum animae. Ergo si beata Virgo Filio Dei in terram descendente indumento corporis humani illam vestivit, ita ne inurbanus suspicandus est filius, ut matre sua coelum ingrediente velit, eam corporis sui veste spoliare? Illa domi suae contulit ei corpus, et ipse domum suae aufert ab ea corpus? absit, immo dabit, et non utcumque, sed splendidum, sed inimmole, sed pulcherrimum, sed variis gloriae dotibus, velut gemmis, et pretiosis margaritis exornatum.

Ultimo, quia si Christus Dominus dixit (*Ican. 20*): *Qui mihi ministrat, me sequatur, et ubi ego sum, illic et minister meus erit*; consequens est, ut Virgo Deipara, quae prae omnibus aliis impensus Christo in carne sua ministravit, sanguinem ei praebens, ut Verbum caro fieret: lac ei propinans, ut natam prolem nutrirerit: pueritiam illius alens, in vita eius illum concomitans, in passione compatiens, in morte assistens, modo illa sit cum Christo, ut ubi ille est, ibi sit vigilantissima eius ministratrix. Haec rationem, quia eleganter prosequitur d. August. (*serm. de assumpt.*), nolo lectorem verbis eius fraudare: sic ille loquitur: *Suis ministris ipsa veritas ait: Qui mihi ministrat, me sequatur, et ubi ego sum, ibi et minister meus erit. Si enim haec est generalis sententia omnium, per fidem, et bonam operationem Christo ministrantem, quanto magis quodammodo specialius est Mariae? Mariam namque operis exhibitione, et fidei rigidissimae veracem ministrantem Christi fuisse, omnis, qui sane sapit, intelligit. Absque dubio enim omni operi ministratrix extitit, quae hunc in utero gessit, partuque profusum aluit, et fovit, atque ut Evangelium ait, in praesepio reclinauit, et a facie Herodis in Aegyptum fugiens abscondit, et omnem infantiam eius pro matris affectu illa prosecuta est, ut usque ad crucem, in qua filium vitam virum perfectum vidit pendente, ab eius indubitanter ministerio non recesserit, consecuta eum non solum gressibus pedum, tanquam pro*

reverentia Dei; verum etiam imitationis affectu. Maria ergo ministratrix Christi spiritualium operum qualitatibus, sicut decotissima extitit, ita absque dubio religionis fide, id est vera credulitate charitate secutrix fuit. Non enim potuit, nisi divinitatis eius credula, quae se noverat hunc non virili semine secundum ordinem naturae, sed divino spiramine, nunciante archangelo, concepsisse, videns semper famulantium angelorum ei adesse frequentiam, ut concepto, et nato, quando videlicet facta est cum angelo multitudo coelestis exercitus clamantium, et dicentium: *Gloria in Altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis; et in Aegyptum fugituro, atque inde iterum redituro. Quibus liquido cognoscere potuit, quia talia obsequia non nisi Deum decevant. Unde et stellae demonstratio, et Magorum de longinquis partibus inspirata adductio, quam maxime illi extitit indicium veritatis. Similiter Simeonis, atque Annae prophetali dignitate, insolitus ceteris, et huic specialis occursum. Quae omnia profecto Maria conspersis his cunctis altius ad finem roborata, pio corde conferebat, in tantum, ut omnino non mutabunda, sed certa de filii potestate, tanquam de Dei vera virtute, deficiente in nuptiis vino, diceret: *Vinum non habent. Sciens plane hoc illum potuisse, quod cum mox contigit, divino miraculo complexisse. Ecce igitur Maria fide, et opere Christi administratrix, et devota usque ad eius mortem secutrix, non plus gressu, quam imitationis affectu, ut credendum est: si tibi non fuerit, ubi Christus ministros suos vult esse, ubi ergo erit? et si ibi erit, ubi aequa Dei mensura, quae unicuique reddit secundum sua merita? Si ergo merito Mariae viventi prae omnibus donata est gratia, mortuae erit minuenda? absit, quia, si omnium Sanctorum mors est pretiosa, Mariae sane est pretiosissima, quam tanta comitate est gratia, ut mater Dei dicatur, et sit. Consideratis igitur his universis vera ratione confutandum censeo Moriam in Christo, et apud Christum esse; qui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.**

## HOMILIA XIV.

*Prosequimur magnitudinem gloriae accidentalitatis Deiparae Virginis, ubi de sublimitate throni, ad quem ex ille assumptionis fuit evecta, ac de multiplici corona, qua ad dexteram Filii sedens fuit coronata, disserimus.*

Divus Bernardinus imparem se agnoscens ad praedicanda beatissimae Virginis praeconia (*serm. de assumpt.*) in haec verba prorupit: *Quibus laudibus servitus hominum Regnam effret angelorum? Quae praeconia dilatat mortalis angustia, vel officia subministret, cui coelestia parent, et famulantur obsequio coelici cives? Quae feret exenia, quas laudes attentet humana penuria, cuius gloriam angelicae mirantur, et praedicant potestates? Quibus dignam honoribus plous hominum acclamant in terris, quam spiritu agmina beatorum iugiter venerantur in coe-*

*lis? Non est profecto facultatis humanae, Virgine gloriosam, ut aereur, efferre: nobis, qui votum gerimus obsequendi, talem credere sufficit, tantumque fatiri, quantum nullus homo valeat explicare. Verum licet omnem facultatem, etiam angelicam, coelestia charismata in die triumphantis Mariae assumptionis Virgini collata longe transcendant, ne famen tantae matri, ac de nobis tam benemeritae ingrati esse videamur, adnotandum nobis est, eam celebrandum manifestare, et manifestandum celebrare. Etenim haec dies est, in qua mulier illa, cui insidiabatur draco, gloriois corporis dotibus, velut pennis in coelum evolavit. Haec dies, in qua mystica arca Noe transacto diluvio super montes coelestis Armeniae ascendit. Haec dies, in qua caudata, ac simplex columbarum olivae defrensus pacis, et victoriae symbolum ad arcam Noe redit. Haec dies, in qua fortissima Iudith contrito capite, non Holofernis, sed trucidatissimi omnium hostis Luciferi, communi omnium spirituum applausu excepta, superam Hierusalem ingreditur, cunctis acclamantibus: *Tu gloria Hierusalem, tu laetitia Israel, tu honorificentia populi nostri*. Haec dies, in qua nubecula illa sursum ascendens, Eliae desideratae pluviae certam spem dedit. Haec est dies illa, in qua vera regina Esther in Assueri palatium, regio diadema ab eo coronanda venit. Haec dies illa, in qua eadem Regina Esther regis cubiculum ingreditur, ut Hebraeos morti adiacentem a tanto malo liberet, ac imptum Amanem latum scelus machinamentum funditus perdat. Haec dies est illa, in qua pulcherrima Bersabee ad thronum pacifici Salomonis evectur. Haec dies illa, in qua percelebris, ac veneranda testamenti arca cum summo iubilio in honorifica collocauit sede. Haec est dies illa, in qua prudentissima Abigalia obvia facta supremo Regi David contra Nabalem ira periclo, illum sedavit, ac omnem iracundiam deponere fecit. Haec dies, in qua mater veri Sampsonis dulcissimum favum mellis coelestis gloriae laetanter accepit. Haec dies, in qua sapientissima Debora ascendit in Cades, quae sanctitas interpretatur, ut adversus hostes populi Dei pugnam doceret, et victoriam daret. Ac tandem, ut verbis dei Bernardi (*serm. de assumpt.*) loquar: *Sublimior est ista dies, et splendidior sole resurgens, in qua Virgo regalis ad thronum Dei Patris evectur, et in ipsius Trinitatis sede reposita, naturam etiam angelicam sollicitat ad videndum. Tota conglomeratur angelorum frequentia, ut vident Regnam sedentem a dextris Domini virtutum in vestitu deaurato, et in corpore immaculato, circumdatam varietate gratiarum, et distinctam multipliciter virtutum. D. Augustinus etiam (*hom. 3. de assumpt.*) inquit: *Adest nobis dilectissimi fratres, dies valde venerabilis, dies omnium sanctorum solemnitate praecellens. Adest, inquam, dies incluta, dies praecelara, dies, in qua e mundum migrasse creditur Virgo Maria, et ideo laudes intonet antiora terra, cum summa exultatione tantae Virginis illustrata excessu; quia indignum valde est, ut illius recordationis solemnitas sit apud nos sine maximo honore, per quam meruimus auctorem vitae suscipere.***